

Orden EDU/1406/2023, de 4 de diciembre (BOCyL de 12 de diciembre)

CUERPO:	0590 PROFESORES ENSEÑANZA SECUNDARIA
ESPECIALIDAD:	003 LATÍN
PRUEBA:	TEXTO EN PROSA PARA SU TRADUCCIÓN CON DICCIONARIO Y COMENTARIO SINTÁCTICO-ESTILÍSTICO, SOCIOCULTURAL O HISTÓRICO SEGÚN LAS CARACTERÍSTICAS DEL AUTOR.
TURNO:	1-2

### Opitz Theodor, Ed., Leipzig, B. G. Teubner, 1894

*Nostra memoria victor Sulla cum Damasippum et alios eius modi, qui malo rei publicae creverant, iugulari iussit, quis non factum eius laudabat? Homines scelestos et factiosos, qui seditionibus rem publicam exagitaverant, merito necatos aiebant. Sed ea res magnae initium cladis fuit. Nam uti quisque domum aut villam, postremo vas aut vestimentum alicuius concupiverat, dabat operam, uti is in proscriptorum numero esset. Ita illi, quibus Damasippi mors laetitiae fuerat, paulo post ipsi trahebantur, neque prius finis iugulandi fuit, quam Sulla omnis suos divitiis explevit. Atque ego haec non in M. Tullio neque his temporibus vereor, sed in magna civitate multa et varia ingenia sunt. Potest alio tempore, alio consule, cui item exercitus in manu sit, falsum aliquid pro vero credi: ubi hoc exemplo per senatus decretum consul gladium eduxerit, quis illi finem statuet aut quis moderabitur?*

*Maiores nostri, patres conscripti, neque consili neque audaciae umquam eguere: neque illis superbia obstabat, quo minus aliena instituta, si modo proba erant, imitarentur: arma atque tela militaria ab Samnitibus, insignia magistratuum ab Tuscis pleraque sumpserunt; postremo quod ubique apud socios aut hostis idoneum videbatur, cum summo studio domi exequebantur: imitari quam invidere bonis malebant. Sed eodem illo tempore Graeciae morem imitati verberibus animadvortebant in civis, de condemnatis summum supplicium sumebant. Postquam res publica adolevit et multitudine civium factiones valere, circumveniri innocentes, alia huiusce modi fieri coepere, tum lex Porcia aliaeque leges paratae sunt, quibus legibus exilium damnatis premissum est. Hanc ego causam, patres conscripti, quo minus novom consilium capiamus, in primis magnam puto. Profecto virtus atque sapientia maior illis fuit, qui ex parvis opibus tantum imperium fecere, quam in nobis, qui ea bene parta vix retinemus.*

*Placet igitur eos dimitti et augeti exercitum Catilinae? Minime. Sed ita censeo: publicandas eorum pecunias; ipsos in vinculis habendos per municipia, quae maxime opibus valent; neu quis de eis postea ad senatum referat neve cum populo agat; qui aliter fecerit, senatum existumare eum contra rem publicam et salutem omnium facturum.*

### **3. TEXTO EN PROSA PARA SU TRADUCCIÓN CON DICCIONARIO Y COMENTARIO SINTÁCTICO-ESTILÍSTICO, SOCIOCULTURAL O HISTÓRICO SEGÚN LAS CARACTERÍSTICAS DEL AUTOR.**

1. Traduzca el fragmento propuesto.
2. Realice un comentario sintáctico de las partes subrayadas.
3. Comente las características estilísticas y referencias historico-sociales, que le permitan identificar el autor y/o la obra a la que pertenece el fragmento dado.